



Catalogus disert.

1. Jo. Aug. Ernesti

1. de fide historica.
2. de difficultatibus Novæ T. recte inter-pretandi.
3. de templo Herodis M.
4. de vanitate philosophantium etc.
5. de vestigijs linguæ hebraicæ in linguæ græcæ.
6. de theologia historica & dogmatica coniungenda necessitate.
7. de libertate iudicandi in causa religionis.
8. de doni linguarum natura ad illustr. 1 Cor. XIII.
9. de necessitate acceptæ coelestium et ter- restrium ad Ep. 1. 10.

2. D. J. L. Sailer

10. de liberali doctoris S. I. provincia
3. M. J. F. Gruner
11. de quo Christus imago dei inenarrabilis, ad Act. 17. 4. Coloss. 1. 15. Hebr. 1. 3.
12. spiritus apostolorum Jesu & magister arguens mundum, ad Act. 17. 8-11.
13. de quo Christus, quem in sententiam dei, et dici legislator nomen potest.

4. J. F. Steubitz

14. de iis qui primitivus spiritus acceperunt ad Rom. VIII. 27.
15. Expositio Capituli XI. Paul. ep. ad Rom.
5. J. M. Jac. Baumgarten
16. de exprophetia ab hominibus in hac vita non obtinenda.
17. thes. ad illustrationem M. T. ex pro- fuit.

6. C. F. Wedderlein

18. de vero usu atque abusa rationis hu- manæ in rebus divinis.

7. D. Gott. Leib.

19. de doni linguarum indole
20. de filio hominis
21. sententia iudeorum de Messia & de iure ejus regno.
8. Franc. Mikkar Reinhard
22. utrum ad iudicium de miraculis requi- ratur inmensa nature accurata cognitio.
9. Ernst. F. Wernsdorf
23. de amen liturgico.
24. iudicium de notulis dubitationibus contra rel. Christi.
10. J. Benj. Koppe
25. quid sit & ex quo tempore Episcopus et qui & ex quo tempore 2 Theos. II. 3-13.
11. G. L. C. Loeber
26. vindicta iustitiae divina in morte trauis ad Act. 17. 1-11.
12. F. Andr. Broth.
27. de vera lectione 1 Pet. II. 3.
13. D. C. C. Tittmann
28. de quo deus & servator in ex. Joannis de monstratu.
14. D. C. G. Robert.
29. causa belli Israeliticæ aduersus Cana- næos genti. Tacuit multa.
15. C. D. Beer.
30. specimen historiae bibliothecarum alexan- drinarum.
16. C. L. Gerling
31. doctrina de summa atque æterna Jesu Christi divinitate.

Gouann.  
N. 129.  
2.

26.  
DISSERTATIO  
SISTENS

27  
78  
VINDICIAS IVSTITIAE DIVINAE  
IN MORTE ANANIAE  
EIVSQVE VXORI INFLICTA

AD ACTOR. V, v. 1-II.

QVAM  
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE  
C O N S E N T I E N T E

D. XIII. MAII, MDCCCLXXII

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISIONI  
S V B M I T T I T

P R A E S E S  
THEOPH. LVDOV. CAROL. LOEBER

PHILOSOPHIAE DOCTOR

R E S P O N D E N T E

RVDOLPH. LVDOV. GOTTLIEB. SCHMID

IENENSI SS. LL. C.

✦—————✦  
I E N A E

EX OFFICINA STRAVSSIANA

56

DISSERTATIO

SISTENS

VINDICIAS IUSTITIAE DIVINAE

IN MORTE ANANIAE

EIVSQVE VIKRI INFLIGTA

AD ACTOR. N. O. L. A. N. D.

BY

AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

CONSENSIT

PLACIDAE LEVDORVM DISCVSSIONI

SVMMITIT

P R A E S E S

THEOPH. LEVDOR. CAROL. FOETTER

PHILOSOPH. DOCTOR

R E S P O N D E N S

RODOLPH. LEVDOR. GOTTLIEB. SCHMID

PHILOSOPH. DOCTOR

I E R M A N

LEVDORVM UNIVERSITATIS





S. I.

*Institui ratio.*



**N**ullus plane dubito, fore, vt, qui hancce  
qualemcunque scriptionem legerint, ad-  
mirentur, quid sit, quod potissimum ad  
hunc locum tractandum animum atque  
cogitationes adplicauerim, quippe qui parum momenti ha-  
bere videatur, praesertim cum non exiguus eorum nume-  
rus sit, qui eum fise ac prolixè dudum exposuerint. Rebus  
autem in nostro loco quae occurrunt, paullo accuratius con-  
sideratis, omnis, credo, euanescet admiratio. Fit enim  
non raro, vt aduersarii religionis Christianorum insensissimi  
inflammato studio intentisque viribus eo connitantur, vt  
firmissima sanctissimae doctrinae Christianae fundamenta fun-  
ditus euertantur diuinisque oraculis, quibus illius super-  
structa est veritas, dignitas ac certitudo, diuina auctoritas  
detrahatur. Quocirca id agunt maximopere, vt ex iis  
subinde aliquid exquirant, quod deo eiusque infinitis per-  
fectio-

A

fectio-

fectionibus indignum videatur. Est autem inter eiusmodi diuinorum oraculorum effata, quae illis obstaculo esse possint, noster etiam vel in primis locus. Quemadmodum enim quilibet iusti aequitatis nomen tueri studens, nunquam non in aliis puniendis accuratam inter poenas atque delicta constituere debet proportionem, ut poenarum seueritas peccati moralitatem et grauitatem ne excedat; sic etiam deus, sapientissimus rerum humanarum iudex et arbiter, hanc iustitiae regulam seruet, necesse est. Verum enim vero si contentio fiat atque comparatio inter peccatum, ab Anania eiusque vxore commissum et poenam, vtrique a deo inflictam, primo intuitu, quomodo deus hac in re tam necessariam obseruauerit regulam, haud intellexerimus. Nonne autem credibile est, aduersarios deum ideo summae incursum esse iniustitiae? nonne inde diuinam auctoritatem S. scripturae negandi ac pernegandi desumentationem? His rebus comparatis, quid impediat, quo minus ego hoc effatum perlustraturus, *vindicias iustitiae diuinae in morte Ananiae eiusque vxori inflicta*, proponam? Ad quam rem eo felicius expediendam, in eo potissimum elaborabo, ut, poenam illam dei iustitiae admodum fuisse consentaneam, luculenter demonstrarem.

## §. II.

*Ordo tractationis.*

Ad tractationem huius argumenti ipsam quod attinet, hunc praecipue ordinem tenebo. *Primum* pauca de peccato Ananiae exponam, ita quidem, ut partim *generatim* illius natura ac indoles consideretur, partim *speciatim*, ad eius atrocitatem ac grauitatem eo penitus intelligendam, varii actus vitiosi, qui cum eo coniuncti fuere, fusius explicentur, partim summa moralitatis quantitas inde deducatur. Quibus expositis, *deinceps* ad expendendam poenam, qua  
Ana.

Ananias eiusque vxor adfecti sunt, progrediar: hisce prae-  
missis, tandem ad palmarias partes mihi impositas rite im-  
plendas pergam, hoc quidem modo, vt et ex summa pecca-  
ti commissi grauitate eiusque moralitate, et ex adiunctis  
rebus, quae grauissimum illud delictum concomitatae sunt,  
exquisiteissima dei iusticia, in ea re luculentissime manifestata,  
firmis argumentis demonstratur.

S. III.

*Generatim describitur peccatum ab Anania eiusque vxore  
perpetratum.*

Angustus huius scriptionis terminos transilire, si  
quaeuis verba, quae in hac sectione occurrunt, prolixius  
et critique et philologice perlustrare vellem. Quocirca eam  
rem doctissimis huius libri interpretibus a) relinquens,  
nunc in eo potius operam collocabo, vt in illius grauissimi  
peccati naturam et indolem accuratius inquiram, et, quae  
eius

A 2

- a) Non vacat, omnes, qui huc pertinent, scriptores excitare; principes  
modo, vt commemorem, primum locum obtinent: GERHARDVS  
in adnotationibus in acta Apostolorum, HEVMANNVS in seinen Erklä-  
rungen des N. T. BENSON in der Geschichte der ersten Pflanzung der  
christlichen Religion. WOLFIVS in curis philologicis et criticis in  
euangelia et acta Apostolorum, IOACHIM LANGE in euangel. Licht  
und Recht. Nouum testamentum cum adnotationibus HENR. HAMMON-  
DI et IO. CLERICI. ER. SCHMIDIVS in versione N. Testamenti,  
Tom. V. ABR. CALOVIIVS in bibliis N. T. illustratis, Tom. I. TH.  
BEZA in N. T. cum eius adnotationibus et CAMERARII commentario,  
PHIL. A LIMBORCH comment. in acta Apostolorum etc. RAPHE-  
LIIVS in notis Polybianis etc. nec non KYPKE in obseruationibus sacris  
in libros N. foederis; tandem: MOLDENHAVERVS in der gründli-  
chen Erläuterung der schweren Stellen des Neuen Test. Reliquos,  
breuitati vt consulam, missos facio, quos prolixè adlatos inuenies  
in MICH. LILIENTHALII biblisch exegetischen Bibliothek, Sect. II.  
C. H. SCHETELIGII bibliotheca disputationum rheol. philol. exegeti-  
carum. P. II. p. 231. seq.

eius natura fuerit, generatim luculenterque ostendam. Quoniam vero illud ipsum ex contextu rebusque circumstantibus perspici ac intelligi debet, pauca, quae sequuntur, probe tenenda sunt. Primaevae ecclesiae status atque conditio quum requireret, ut publicum quasi aerarium b) constitueretur ad eos sustentandos, qui ob rei familiaris tenuitatem atque angustiam necessaria vitae sibi comparare non poterant: multi fuerunt, qui eo ipso, quod ex proprio instinctu egregium hoc institutum adiuuabant, magnam sibi conciliauerunt laudem atque gloriam c). Ananias igitur splendida benefici hominis gloria incitatus, neque minus illorum vestigiis ingredi coepit, videri certe voluit, ac vendito agro d), pecuniam acceptam ad Apostolos, quibus aerarii cura demandata erat, attulit, ita quidem, ut, consentiente

- c) Ad communionem bonorum demonstrandam plurimum valent loca: Act. II. v. 44. 45. C. IV. v. 32. praesertim verba: *καὶ ἕχον ἀπαντα κοινῶν*. Quae verba non de communionis possessionum, sed eius tantum intelligenda esse, contendit MOSHEMIVS in *hist. eccles. Saec. I. P. I. §. 5. p. 29. et in dissert. de vera natura communionis bonorum in eccles. Hierosolymitana*, quae existat in *dissertationibus eius ad hist. eccles. perr. Vol. II. Conf. WOLFIVS in curis philol. et crit. ad h. l. p. 1047.*
- c) Quod publicum aerarium aduersariis occasionem praebuit, Apostolos grauissimis proscindendi calumniis. Sed qui rite expenderit, hoc institutum a libertate esse profectum animique probitatem et condorem, quo illi excelebant, simul contulerit, reprehensionum infirmitatem nullo negotio intelliget. Conf. GODOFR. ARNOLDII *wahre Abbildung der ersten Christen*, Lib. VIII. pag. 450. seq.
- d) Verbum *πρῶτα* varie explicatur. ERASMVVS interpretatus est possessionem, i. e. ex ipsius mente, domum aut praedium, quocum conspirat VATABLVVS, de quibus videlicet *Criticus sacros* Tom. IV. ad h. l. Proprie denotet rem, quam aliquis adquisiuit, vel adquisitam possidet, possessionem, speciatim vero praedium, cui ampla agrorum regio adhaeret, vel agrum ipsum. Posteriorem vero significationem hic locum habere puto: id quod tam ex Act. II. v. 45. quam ex v. 3. vbi discrete *ἀγρίε* mentio fit, quod agrum, praedium aut villam denotat, optime demonstrari potest.



tiente vxore, partem illius pecuniae retineret e). Sed ad  
 sua merita extollenda, temere ac pertinaciter omni adseue-  
 ratione adfirmat, se totum pretium inde acquisitum adpor-  
 tasse. Quocirca peccatum Ananiae eiusque vxoris non in  
 donatione praeuia, ecclesiae facta, vertitur, vti quidam, in-  
 ter quos b. BRVCKERVS eminent, statuunt f); neque factum  
 ipsum pro peccato haberi potest, siquidem illi vitio verti  
 non potuisset, quod pretii tantum partem in publicum  
 aerarium contulisset, nisi Apostolis tam fraudulenter men-  
 dacium obtrudere conatus esset. Sed scelus eius in turpissima  
 hypocrisis est, dolo atque mendacio, quo, ad decipiendos Chri-  
 sti legatos, sibi quoque eo maiorem conciliandam laudem atque  
 gloriam, consulto cogitatoque vtebatur. Ex quibus fati-  
 superque efficitur, vt, non τὸ ὄν, sed τὸ πῶς, non factum ipsum,  
 sed modum atque rationem agendi, grauissimum illud confi-  
 tuisse peccatum, sit censendum, quatenus nimirum ex prauo  
 animo improboque consilio id ipsum profectum est benefi-  
 cium, alias fati amplum.

A 3

§. IV.

- e) Verbo *νοσφίζειν*, quod ortum est ex *νόσφι* seu *νόσφι*, *seorsim*,  
 proprie adiuncta est notio τῶν *separare, seiungere*; improprie autem  
 praecipue de iis vsurpatur, qui de publica pecunia, communi aut plu-  
 rimum vsui destinata, aliquid subducunt et sibi vindicant, quam signifi-  
 cationem KYPKE in obseruationibus ad h. l. ex scriptoribus profanis  
 collectis, abunde comprobat: vnicui verbo si reddere velis, optime  
 fieri posse arbitror per *intervenire* vel *clam subducere*. Vid. WOL-  
 FII *curas philol. et crit. ad h. l. p. 1071.*
- f) Ex mente b. BRVCKERI in libro, qui inscribitur: *Die heil. Schrift des  
 Alten und Neuen Testaments, nebst einer vollstaendigen Erklaerung dersel-  
 ben, Tom. XIV. ad h. l.* Ananias primum ecclesiae agrum donauit  
 rat, quae erat *donatio inter vivos*. Itaque defraudatio partis de pretio  
 eo grauior fuit, quia agrum per donationem in dominium ecclesiae  
 translatum, denuo vendidit ac praeterea partem pecuniae acceptae  
 occulte interuertit. Sed cum ne minimum quidem huius donatio-  
 nis in l. c. inueniatur vestigium, ideoque fundamento fati lubrico,  
 vel nullo potius, ea sententia innitatur: impetrare a me non possum,  
 vt viro doctissimo calculum adiciam.



## §. IV.

*Speciatim recensentur varii actus vitiosi, qui in illo peccato continebantur.*

Tantum abest, vt hocce peccato Ananias vnus modo prauitatis reus sit censendus, vt potius plures prodiderit animi labes, quibus infectuserat. Persuasus igitur, paullo prolixiorum variorum illorum vitiorum commemorationem ac expositionem, ad eius peccati indolem atque grauitatem eo penitius perspiciendam, multum adlaturum esse adiumenti: multiplices actus vitiosos, quibus Ananias eiusque vxor se contaminauerunt, recensabo. *Primum* igitur, si in beneficii, ab Anania in commune Christianorum hominum commodum collati, originem primam accuratius inquiras, ex impuro fonte, praua nimirum atque illicita illud emanauisse animi destinatione, patet. Nam id ipsum eo consilio fecit, vt tali modo magnam sui existimationem insignemque benefici hominis laudem inde sibi conciliaret. Quod improbum animi consilium ex rebus circumstantibus, quae facto Ananiae adhaerent, satis atque abunde elucet et consequitur. Rebus autem ita comparatis, nonne in turpissimum superbiae vitium delapsus Ananias, admodum grauem contraxit culpam? Ex quo *deinde* aliud enascebatur peccatum, maxima nimirum hypocrisis atque simulatio, quam eo, quod probi beneficique hominis personam indutus, animi superbia inflati, spurcissimaeque auaritia infecti, malitiam et improbitatem occultare studeret, luculenter declarauit. Quae sordida porro auaritia, qua nihil est foedius ac retrius, veram quoque continet rationem, cur de pretio, ex agro vendito sibi comparato, tecte ac occulte partem aliquam interuerterit.

§. V.

§. V.

Continuatio.

Quemadmodum autem vitium, primum tacite serpens, post magis apertius ac latius progreditur; sic etiam profecto haud mirum, Ananiam, primo peccato commisso, in per multa alia esse delapsum. Quapropter eum quoque ad decipiendos tum Apostolos, tum alios Christi assecclas, quin Deum ipsum, si fieri potuisset, videmus paratum atque promptum g). Vltcrius enim si in grauiissimi illius peccati indolem inquiramus, turpissimus porro dolus, pestiferumque fraudis scelus, quo non Apostolos tantum, sed totam etiam ecclesiam decipere studuit, in eo deprehenditur. Ad quem dolum eo magis occultandum, turpissimo *praeterea* vsus est mendacio, in quo tam pertinaciter perstitit, vt nullo modo ab Apostolis inde se reuocari pateretur: eodemque simul maximum Apostolorum prodidit contemptum, siquidem res ipsa satis atque abunde confirmat, eum non

g) Verbum *Ψευδοδωξ*, quod ad describendum peccatum illud v. 3. habetur, magnum inter eruditos dissenfum peperit. BENSON in *der Geschichte der ersten Pflanzung der christlichen Religion* ad h. l. et alii putant, hocce verbum cum accusatiuo constructum, notionem *τῆ fallere* sibi habere coniunctam, indeque adfirmant, hanc vim etiam h. l. esse accipiendam. At KYRKE in *observat. sacr.* ad h. l. ex aliis scriptoribus comprobauit, hocce verbum cum accusatiuo constructum, etiam significationem *τῆ mentiri* admittere. Cui sententiae additus est etiam GROTIUS, qui demonstrauit: *Ψευδοδωξ*, vti Hebraeorum *דָּבַר* et Graecum *εὐλογεῖν*, in eodem sensu, tam cum accusatiuo, quam datiuo construi. Mentiri autem deo aut spiritui sancto, nihil aliud esse, quam *sperare, se fallere posse Apostolos, spiritu S. instructos*, vnde postea v. 9. exprimitur per *rennare*. Quocirca mea quidem sententia hunc significatum nostro loco esse accipiendum, arbitror, cum praesertim subiecto, de quo illud verbum praedicatur, magis videatur conuenire. Conf. *Critici sacri Anglicani*, Tom. IV. p. 2187. WOLFFII *curae philol. et crit. in acta Apostol.* p. 1072.



non splendidissimum tantum eorum munus, diuinitus ipsis demandatum, sed Apostolos etiam ipsos, praeclaris animi dotibus a deo instructos eximiisque praerogatiuis exornatos, maximo persecutum esse contemtu. Quodsi enim eos veros dei legatos habuisset, profecto etiam haecce de summa eorum dignitate conuictio et Ananiam, et eius vxorem a grauissimo hoc peccato arcere potuisset. Tandem etiam omni supremi numinis reuerentia vacuum ac mentem, quae infinitas eius perfectiones, cum iustitiam et sanctitatem, tum omnipraesentiam summam, parui floccique habebat, eiusque contemptus indicia faciebat.

§. VI.

*Principia ad huius peccati moralitatem cognoscendam praestruenda.*

Quum inter alia argumenta, ad poenam defendendam, qua deus Ananiam eiusque vxorem adfecit, pro summa supremi numinis iustitia militantia, argumentum, idque firmissimum ex maxima moralitatis quantitate, illi funestissimo facto coniuncta, sit deducendum; ordinis ratio requirit, vt hoc §. principia breuiter praestruam, ex quibus moralitas peccati ipsa, §pho sequenti, facili negotio intelligi ac perspicui possit. *Actio moralis* nobis est vnaquaeque actio, a libertate pendens. *Moralitas actionis* autem ex consecrariis antea cognitis pendet et cum eadem coniunctis, quatenus actio a libertate proficiscitur. Libertatis igitur quantitas *generatim* palmarium est principium, ex quo moralitatis magnitudo est diiudicanda: *quo maiori nimirum libertate actio suscipitur, eo maior est etiam illius moralitas.* Ex quo generaliori principio *speciatim* varii de moralitatis quantitate gradus exsur-

exsurgunt, quos breuitati vt consulam, tamquam lemmata h) commemorabo. *Actio* I. *moralitatis quantitas, ex motiuorum quantitate diiudicetur, necesse est. Quapropter, quo plura sunt momenta ad actionem omittendam, eo maior est actionis susceptae moralitatis quantitas.* Momenta sibi praestruunt repraesentationes consuetudinum; quocirca II. *quo certior, quo distinctior, quo plenior consuetudinum est praesensio atque intelligentia, eo maior est moralitatis quantitas.* Quo plures, III. *actio inuoluit minores actus liberos, eo maior est etiam illius libertatis gradus; maior moralitatis quantitas.* Porro actio, IV. quae peragitur vel praevia consultatione, vel minus, haec *indeliberata*, illa *deliberata* adpellatur. Spectat autem deliberatio vel ad actionis *materiale* tantum, vel etiam ad *formale*: prior adpellatur *actio in se*, posterior, quoad executionem *deliberata*: vtramque simul si sumas, *actio plene deliberata* inde exsurgit. Quocirca 1) *actio deliberata maiorem habet moralitatem, quam actio indeliberata*; 2) *quo diutius res est deliberata, eo maior actio coniuncta est moralitas*, 3) *actio plene deliberata maiori gaudet moralitate, quam actio haud plene deliberata.* V. Tandem collisio officiorum saepe minuit libertatis quantitatem; qua de causa 1) *actio extra collisionem*, 2) *et immediata, actione mediata et in collisione suscepta, maiorem habet moralitatem.* Ex quibus sic disputatis efficitur, vt illam actionem summam secum habere coniunctam moralitatem statuamus, quae liberrime est peracta: id est, quae a) motiuus per pluribus ac b) certissima, distinctissima plenissimaque consuetudinum nititur praesensione: in qua peragenda c) complures obueniunt libertatis actus, et d) quae diu

B

diu

h) Longum foret, haecce principia multis illustrare verborum ambagibus: possunt illa facillime ex generali libertatis notione deriuari atque deduci, ac dudum sunt a praestantissimis Iuris Naturae et Ethices philosoph. doctoribus, inter quos Perill, DARIENSIS eminet, satis atque abunde comprobata.



diu pleneque deliberata, immediata atque extra collisionem  
fuit perpetrata.

§. VII.

*Adplicantur haec principia ad peccatum, ab Anania eiusque  
uxore perpetratum.*

Quibus principiis fundamenti loco positis, in eo mihi  
erit elaborandam, ut iis ad peccatum Ananiae et Sapphirae  
adplicatis, summam illius demonstrem moralitatem, cuius  
grauitas et magnitudo ex iis, quae consequuntur, optime  
elucebit. *Generatim* fuit actio, summa cum libertate per-  
acta: siquidem ne vllum quidem in ea deprehenditur  
vestigium, ex quo effici atque euinci possit, eos necessitate  
quadam eo fuisse adductos, ut aut venderent agrum, aut,  
vendito illo, pretium inde sibi comparatum, vsui christia-  
norum communi consecrarent i). Si actionis huius mora-  
litem

1) Cuiuslibet libertati relictum fuisse, aliquid ex possessionibus suis ad  
sustentandos pauperes conferre, neque vlllo pacto aut lege ad hoc fa-  
ciendum quemquam fuisse adstrictum, ex verbis Petri v. 4. *Ουχι μέ-  
νον σοι έμεν, και παραδεν εν τη ση εξουσια υπηρχε*, satis luculenter  
adparet. His enim innuere vult: *prorsus tibi manebat, nemine vlllo  
pacto cogente, neque ut venderes, neque ut vendito, pretium offerres;*  
quemadmodum ERASMVS, VATABLVS et GROTIVS recte verba  
ista interpretati sunt. Nam *μενον σοι έμεν* est locutio Hebraica,  
vbi verbum saepe cum suo infinitiuo construitur et certitudinem  
rei indicat. Conf. *Critici sacri Anglicani*, Tom. IV. p. 2151. seq.  
GLASSII *philologia sacra*, Lib. III. vr. II. con. 37. p. 363. seq.  
WOLFII *curae philol. et crit.* ad h. l. B. BRUCKERUS in libro supra  
excitato verbum: *εξουσια*, non per *ius*, quod Ananias in pecuniam  
exagro vendito acceptam habuit, sed per *possessorem*, esse explican-  
dum putat. Quapropter responsonem Petri in hoc commate hoc modo  
interpretatur: *Das Geld, das du für den Acker erhalten hast, war  
in deiner Gewalt, du hast die ganze Summe von dem Käufer erhalten.*  
Quam longe autem huius Viri praestantissimi sententia a genuinis in-  
terpretandi regulis diffideat, (§ III.) ostensum iam est, quae etiam  
minus aridit S. V. ERNESTI, in *bibl. theol.* T. II. p. 690.

litatem ad principia specialiora §. praeced. excitata, referas, moralitatis quantitas eo clarius adparebit. Etenim in eo *primum* verfabatur statu, in quo per plurima eaque maxima, ad hoc peccatum euitandum, ipsi adferebantur motiua. Tanta enim huic funestissimae actioni insita erat turpitudine tantaque confectariorum, tam in illum ipsum, quam in totam ecclesiam redundantium multitudo, vis ac grauitas ei coniuncta, ut cum ex illius prauitate, tum horum copia, perneciae atque exitio validissima ad hoc peccatum effugiendum, addiscere posset motiua, si modo ea, ita, ut par erat considerare voluisset ac ponderare. *Praeterea* mala ista confectaria tam indiuiso nexu cum praua illa actione erant coniuncta, vt, animo vel minimum ad ea perspicienda adplicato, ea non posset non praeuidere certissime euentura. Sed finge, hoc factum non esse, nihilo tamen secius moralitatis quantitas eo ipso valde adaugebatur, quia partim hoc perfacile factu fuit, partim ad ea praeuidenda maxime illum videmus obstructum.

§ VIII.

*Continuatio.*

*Deinde* hoc atrocissimum peccatum permultos alios simul complectebatur libertatis actus, nimirum: 1.) consilium de peccato committendo captum, 2.) decreti ipsius executionem, 3.) dolum, 4.) mendacium, 5.) *pernicitissimam* mendacii ac fraudis occultationem, multosue alios minores actus, quos prolixè recensere, nimis longum foret. Quantum *porro* moralitatis quantitas inde aucta sit, quod nunc dicam, facile quilibet mente adsequetur: quippe ex praecedentibus patet, illud improbum factum praeuia consultatione, ab Anania eiusque vxore esse perpetratum. Rebus autem sic comparatis, actio fuit deliberata, ideoque peccatum maxime proaereticum: quatenus vero actionem il-



Iam et quoad materiale, et quoad executionem decreuerant, eatenus fuit actio non in se tantum, sed etiam quoad executionem, ergo plene deliberata. Omnia autem a me modo enumerata ita accidisse, luculentissime, tum ex accuratissimo cum vxore consensu et conspiratione k), tum etiam ex eo, quod satis magnum temporis spatium ipsi, ad hanc actionem plene deliberandam, relictum fuit, consequitur. Tandem etiam non aderat collisio officiorum, quae moralitatis quantitatem minuere posset: neque reperimus vestigia, ex quibus, eum ab aliis ad hoc factum suscipiendum fuisse inductum atque instigatum, concludi possit; fuit ergo etiam actio immediata. Quae momenta, si cum principiis ante adlatis, rite conferantur, summam huic actioni vitiosissimae moralitatem fuisse coniunctam, nemo non, nisi admodum vecors sit, facili negotio luculentissime perspiciet.

### § IX.

#### *De poena, qua Deus Ananiam et Sapphiram adsciebat.*

Grauiissimi peccati huius natura et indole breuiter exposita, eiusque moralitatis quantitate rite expensa, ordinis ratio requirit, vt pauca, quae ad poenam, quam illo delicto Ananias eiusque vxor sibi conscuerant, pertinent, adiciam, antequam probare possim, illam iustitiae diuinae admodum fuisse consentaneam. In qua re Apostolus Lucas, admodum est breuis atque concisus: siquidem de ea haec tantum adfert: Ananiam et Sapphiram repente ad pedes

k) Admodum scite ac commode sanctus Apostolus id ipsum innuit, v. 9. cum Sapphiram adloquitur, *τι ὅτι συνεφωνήσατε?* Quid est, quod. si cur conuenit inter vos, i. e. quae inter vos conspiratio fuit? Quae loquendi ratio accuratam deliberationem, antea factam, satis confirmat; *συνεφωνέν* enim idem est, ac *consentire*, conuenire inter se, adeoque actionem, proposito et deliberato consilio, indicat.



pedes Petri prostratos, statim animas efflasse. Namque per verba, et v. 5. et v. 10. adhibita, sine omni controuersia poena capitalis, seu mors intelligitur, id quod tum ex verbi ἐξψυξε etymologia, tum etiam ex communi illius vsu, patet; quale vero mortis repentinae genus id fuerit, non liquet 1). Quapropter non est, quod diutius incertae rei inhaereamus; sufficiat nosse, tam repentinam mortem ex causis naturalibus non esse ortam, sed vitae spatium supernaturaliter fuisse coarctatum; maxime, quum hae aliaeque quaestiones, quae hac de re moueri possint, nimiam sapiant diligentiam et curiositatem. Sed occurritur nobis ab aduersariis, qui hanc mortis poenam Petro tribuentes, occasionem inde captant, sanctum Apostolum, ob memoratam ex eorum sententia caedem, summae accusandi auaritiae, iniustitiae ac crudelitatis. Ad quos confutandos, paulo accuratius inquiramus, oportet, vtrum aliquid causae in morte, qua Ananias eiusque vxor affligebantur, in Petro resideat, aut an illa tantum deo fit tribuenda? Re accuratius considerata, posterius vtrique assumendum esse, conficipotest. Siquidem primum in sermone, quem Petrus ad Ananiam faciebat, ne minimum quidem reperimus vestigium, ex quo adparere possit, hanc mortis poenam Petro fuisse in animo: e contrario id egit potius apostolus, ut Ananiam ad cognitionem peccati grauissimi seriamque poenitentiam adduceret. Neque minus inde conicere licet, Petrum ne sciuisse quidem,

B 3

1) ἐκψυξέν enim, quum contrarium τῆς ψυχῆς, vitae vel animae indicet, optime per *expirare*, *vitam dimittere* reddi potest, quippe Iud. IV. v. 21. a LXX viris pro ἡγῆ, adhibetur, quod quidem proprie denotat: *lassari*, *defatigatum esse*; in hoc loco autem significatio intenditur, et idem est, ac *deliquium animi pari*, s. *expirare*. In hoc significatu etiam vocabulum nostrum Act. VI. 10. et XII. 23. occurrit. Mortem autem repentinam fuisse, ex eo factis clarum est, quod statim post audita Petri verba, Ananias et Sapphira ad pedes eius ceciderunt atque expirarunt.

dem, quid deus de Anania decreuisset: quoniam sine dubio eodem modo, Ananiae, vti eius vxori, eam antea praedixisset. Verum enim vero, forsitan ipsi caedes Sapphirae est tribuenda? Ne hoc quidem: nam ex verbis v. 9. pater, Apostolum tantum hanc poenam, Anania morte exstincto, diuinitus ei reuelatam, adnunciauisset. Mortem ipsam igitur immediate deo, illius autem adnuntiationem Petro tribuamus, necesse est. Consimile tandem exemplum in V. T. m) exstat, vbi similiter sermonem prophetae, principis Platiae repentina mors sequebatur. Quemadmodum autem haec ipsa mors prophetae non imputanda est, quod ipsum quidem ex terrore, quem ille euentus inopinatus ipsi iniecerat, concluditur; sic nulla adest ratio, cur hoc loco Ananiae et Sapphirae mortem Petro tribuamus. Rebus igitur ita comparatis, omnis aduersariorum cadit obiectio, ac ne species quidem ad est, quae vel minimum crudelis animi vestigium prodere possit.

## § X,

*Transitus ad reliquam tractationem.*

Hac falsa aduersariorum opinione confutata, ad illam, qua iustitiam dei accusant, remouendam progredior. Misere enim contendunt occaecati, deum hoc in facto *partim* necessariam proportionem, delictum inter et poenam constituendam, non rite obseruauisse, *partim* Ananiae eiusque vxori omnem, veram poenitentiam agendi, praecidisse occasionem, atque ideo neque iustissimi, neque benignissimi numinis impleuisse partes. Quapropter in eo potissimum nunc versabor, vt summa dei iustitia ac benignitas ab aduersariorum obiectionibus liberetur. In qua re expedienda hunc praecipue sectabor ordinem. *Primum* quaedam de iustitia ac benignitate dei praeftruam  
princi-

m) Exech. XI. 13.


principia: quibus expositis, *partim* ex summa illius peccati moralitate, *partim* ex sapientia dei infinita, *partim* ex eius benignitatis natura ac indole, *partim etiam* ex religionis, quo tunc temporis erat, statu atque conditione, argumenta eaque firmissima deducam, ex quibus non summa tantum dei iustitia hoc modo manifestata, et optima inter eius benignitatem atque poenam, Ananiae eiusque vxori inflictam, concordia, sed etiam poenae ipsius tam feuerae necessitas, sole meridiano clarius elucebit.

§ XI.

*Traduntur nonnulla, ad iustitiam dei atque benignitatem quae spectant, principia.*

In formanda autem iustitiae, qua summus rerum humanarum arbiter ac vindex gaudet, notione, non poterant non mentem statim subire grauissimae contentiones, quae hac de re inter eruditos sunt ortae. Sed cum plagularum angustia non permittat, prolixius eas commemorare, neque me iuuenem, tam acrem dirimere litem deceat; eam tantum excitabo notionem, quae non solum a viris doctissimis, luculentissimis argumentis est comprobarana), sed de cuius veritate etiam plene sum conuictus. *Benignitas dei* est studium intensissimum atque efficacissimum, omnibus naturis creatis, pro modulo suo bona conferendi. Simulac igitur a rebus creatis impedimentum exercitio huius benignitatis ponitur, quo minus ea sese exferat, culpa huius defectus non deo, sed naturae creatae ipsi tribuatur, necesse est. Ad quam rite exercendam maxime opus est *sapientia*; quam adpellamus scientiam dei summam, optimis finibus, optima remedia, opti-

n) Fufe de hac re differunt: BÜLFINGERVS in *dilucid.* §. 449. LEIBNITZIVS in *Theodicea* nec non CANTZIVS in *usu philosophiae Leibnizianae et Wolffianae in Theologia* pag. 342. seq. multique alii, quos fusius recensere non vacat.



optimo modo subordinandi. Ex quo sapientiae atque benignitatis connubio ac combinatione enascitur *iustitia dei summa*. Cum enim *iustitiam* generatim spectatam, optime definire possimus per studium, unicuique ea tribuendi, quae ipsius statui sint conuenientissima; ad huius studii exercitium autem necessario requiratur, partim benignitas, partim sapientia: inde facile consequitur, ut optimo iure summam dei iustitiam explicare posse videamur per summam eius benignitatem sapientissime administratam. Qua summa iustitia duce deus eo impellitur, ut, *primum*, tantum cui libet homini benignitatis exhibeat, pro gradu capacitatis seu receptiuitatis; e. qui in eo versatur statu, in quo illius fieri potest particeps: cuius autem eam subducatur, qui ea destitutus est capacitate; *porro*, ut poenas alteri ob malefacta infligendas, semper ad moralitatis quantitatem referat, illis coniunctam: ideoque in peccatorem non grauius acerbiusque animaduertat, quam actionum prauitas admittat: nec non *tandem* in poenis irrogandis semper optimos, tam respectu delinquentis ipsius, quam aliorum et totius systematis, sibi habeat praefixos fines. Multa sunt, quae eam in rem dici adhuc possunt; sed cum modo adlata sufficiant ad nostram thesin comprobendam: reliqua, quae de iustitia diuina adhuc disputari possunt, cui libet satis nota et a doctissimis viris abunde et luculentissime exposita sint: iure meritoque ea nunc mitto, et sine omnibus ambagibus ad argumentum ipsum mihi propositum progrediar.

## § XII.

*Iustitia dei, in morte Ananiae eiusque uxori inflata, vindicatur, et quidem*

- 1) *ex quantitate moralitatis atque grauitate, quae huic inerat peccato.*

Quoduis peccatum sibi coniuncta habet mala con-  
fectaria; et primum quidem naturalia. Iudex vero at-  
que

atque imperans, iusti nomen tueri studens, simul atque intelligit, peccati moralitatem tantam esse, vt naturalem poenam excedat, huic positivam atque arbitrariam coniungat, necesse est. Quo maior est actionis prauitas, ideoque moralitatis quantitas, eo grauior atque maior etiam fit oportet poena positiva, illi coniungenda. Quapropter peccatum, cuius summa est moralitatis quantitas, maximam quoque meretur poenam. Quodsi autem penitus peccati ab Anania eiusque vxore commissi indolem, § III. et IIII. factis expositam, introspeciamus, ex summa illius moralitatis quantitate §. VIII. comprobata, summa quoque poenae iustitia et aequitas luculentissime adparebit. Nam *primo* §. IIII. et V. collatis, intelligimus, Ananiam et Sapphiram improbo illo facto non vnus tantum delicti, sed multorum simul sibi contraxisse poenam. Spurcissima auaritia, stolidi superbia, iniqua fraus atque dolus, pertinacissimum mendacium atque pessima hypocrisis et simulatio, nec non turpissimus Apostolorum o) sanctissimaeque, cui nomen dederat, religionis contemptus, peccata fuerunt, profecto grauissima, quorum quodlibet grauissimam sibi habebat connexam moralitatem. Quum autem deus, vi atque impulsu iustitiae suae, in puniendo semper pro gradu malitiae ac prauitatis soleat procedere (§. XI.): facile inde consequitur, vt illi atrocissimum facinus, ob maximam illius moralitatem (§. VIII.), grauissime fuisse puniendum statuamus. Huc accedit, quod admodum peruersas de infinitis dei perfectionibus animo fouerint cogitationes, ideoque simul, summam offenderint supremi numinis maiestatem: illuserunt nimirum iustitiae, nihili habuerunt illius sanctitatem, spreuerunt eius omnipraesentiam; ac tali modo ipsi deo sanctissimo

o) Maxima huius peccati moralitas, respectu contentus Apostolorum, potissimum patet ex Matth. xxv, 40. 45. in quo effato, Christum quacuis mala Apostolis illata, pro iniuria sibi et ipsi facta, reputaturum esse, luculenter confirmatur,

ctissimo et iustissimo turpissima fraude et mendacio iniquissimo imponere sunt conati. Nonne autem hac ratione terrissimi criminis diuinæ maiestatis læsæ reos sese reddiderunt? Eiusmodi autem delicta, in imperantem commissa, cum etiam in foro humano mortis supplicio iuste plectantur, nonne eodem, quin etiam maiori iure, hoc peccatum, in deum summum, ecclesiæ tunc temporis fundatæ gubernatorem, perpetratum, ob maximam moralitatis quantitatem ei coniunctam, eandem etiam, immo grauiorem promeruerat poenam? Ex quibus hæctenus disputatis pronò quasi aluo fuit, deum optimam, inter poenam Ananiæ eiusque uxori inflictam, atque delictum commissum constituisse proportionem, eorumque mortem tam repentinam, fuisse poenam tam atrocissimo peccato dignissimam; præsertim si rite simul expendamus, fuisse peccatum, ob maximam proæresin, quæ illi inerat, admodum qualificatum, vt hoc vtar vocabulo. Sed si verum atque euictum est, delictum hoc tantum habuisse moralitatis gradum, vt deus pro immensa sua iustitia eaque punitiua, tam graui Ananiam eiusque uxorem adficere posset poena; iure aliquis quaerere possit, quaenam sit causa, cur hoc tantum in exemplo, iustitiæ summæ leges deus tam accurate seruauerit, cum sciamus, permulta alia peccata, licet eandem habere videantur prauitatis quantitatem, vti in Phariseis, Simone Mago et aliis, nihilominus tamen actu non tam grauius esse punita. Ad quam dubitationem tollendam id agam, vt huius poenæ necessitas sphis sequentibus, tum ex sapientia dei, tum ex statu ecclesiæ ac conditione, comprobetur et stabiliat.

## §. XIII.

*Determinantur conditiones, sub quibus sapientia diuina necessariam poenarum iuste infligendarum ac promeritarum executionem exigat.*

Sapientia dei cum in summa eius scientia, optimis finibus optima remedia optimo modo subornandi

di (§. XI.) consistat, necessario inde consequitur, vt illam in puniendis hominibus primum poenarum, in se iustarum ac bene promeritarum, exigat executionem, si illa optimum esse remedium, intelligat; ad finem et respectu malefici et totius systematis optimum, sibi praefixum optime obtinendum. Tria igitur potissimum sunt momenta, quae actualem poenarum temporalium adfectionem sapientiae diuinae suadent, et ex quibus simul earum necessitas est diiudicanda. Requiritur *primum* tanta peccati moralitas eaque inter delictum et poenam proportio, vt deus peccatori iuste hanc illamue poenam irrogare possit: requiritur *deinde* status, quo ex omissione, aut poenarum promeritarum retardatione multa, tam in maleficum ipsum, quam in totius systematis salutem redundarent mala, alio modo non facile prohibenda. *Tandem* rerum esse debet conditio talis, vt actualis poenarum temporalium executio optimum fiat remedium, quo per pluribus imperfectionibus repulsis atque remotis, per plures aliae perfectiones, ad salutem totius cuiusdam systematis conseruandam aut adiuvandam necessariae obtineantur. Quodsi igitur poenarum promeritarum omisso aut retardatio fieret fons atque scaturigo multarum imperfectionum; contra earum executio principium foret multarum perfectionum, et in peccatorem ipsum; et in totius systematis salutem redundantium: tunc sapientia dei requirit, vt poenis promeritis iuste exercendis peccator actu adficiatur.

## §. XIV.

*His principiis ad poenam Ananiae eiusque uxori inflictam adplicatis,*

2.) *Summa eius iustitia in ea manifestata ac necessitas ex sapientia diuina deducitur.*

Haecce principia modo adlata, si cum grauissima poena, qua Ananias eiusque vxor adficiebantur, rite conferamus,

ramus, poenae inflictae iustitiam eiusque necessitatem nullo negotio intelligemus. Etenim 1.) ex §. praeced. XIII. satis atque abunde patet, moralitatem peccati memorati tantam fuisse, ut deus tam grauiissimam mortis poenam Ananiae eiusque uxori irrogare recte potuerit: poena igitur fuerit in se iustissima. 2.) Ex omissione aut retardatione poenae promeritae maxima damna enata fuissent: et quidem primum ad Ananiam ipsum quod attinet et Saphiram. Absonum hoc primo intuitu videtur, sed re paulo attentius considerata, illius certitudo atque veritas luculenter adparebit. Tanta enim in illorum animis erat malitia et deprauatio, ut verisimilitudini proxime accedat, futurum fuisse, ut hoc peccato impune admisso, in plura, quin et grauiora facinora delapsi fuissent. Deus autem, quum per infinitam suam iustitiam semper pro moralitatis gradu punire soleat (§. XI.); necessario etiam eo maiorem sibi, nisi in hac vita, certe post mortem consciuissent poenam p). Largiamur igitur, ex poena, qua Ananias eiusque uxor fuit adfecta, multas in eos, licet iure meritoque redundasse imperfectiones: nihilofecius tamen ex antecedentibus adparet, illos eo grauioris poenae saltem post fata reos se reddituros fuisse, si omissione aut retardatione poenarum, ad noua aliaue peccata committenda, incitati fuissent. Deinde maxima cum ecclesiae, tum religioni ipsi Christianorum contracta fuissent damna, si deus in hoc casu animo indulgente uti uoluisset. Quippe, non permulti tantum alii in familia scelera pertrahi potuissent, sed eo ipso etiam auctoritas atque dignitas Apostolorum, poena neglecta, fuisset diminuta.

## § XV.

p.) Ridicula quidem est eorum sententia, qui ex discrimine inter poenas infernales damni et sensus constituto, varios eorum diiudicare volunt gradus: potest ea res ex aliis certioribus et firmiter principis confirmari.



Continuato.

Quam necessaria porro poenae promeritae ac in se iustae executio fuerit, tandem 3) intelligitur ex pluribus modis atque emolumentis, quae inde in religionem Christianam manarunt. Primum, firmissimum pro diuino eius ortu et auctoritate argumentum, ex hoc euentu plane singulari deduci poterat. Non poterat enim non persuaderi Christianis hominibus eam religionem diuinitus esse ortam, in qua tam luculenter, tam eximie deus summam iustitiam manifestaret. Maxima deinceps hoc ipso euentu, etiam aliis erga deum et sanctissima religionis Christianae dogmata instillabatur reuerentia. Multi certe, qui simile forsitan scelus intendebant, ac, si deus illud peccatum debita poena persecutus non fuisset, reuera commississent, grauissima illa poena retinebantur, quo minus peccato se inquinarent et hac ratione eidem poenae obnoxii fierent. Funestissimum illud hypocrisis atque simulationis crimen, quod alias longe lateque in coetum Christianorum hominum emanasset, hoc modo optime coerceri, illi autem, qui eo laborabant, detineri poterant q). Praestantissimum poena ista erat medium, quo efficiebatur, vt primaeva ecclesia, quoad fieri poterat, ex veris sincerisque consisteret dei cultoribus. Tandem huius poenae executio etiam permultum contulit adiumenti ad maximam, Apostolis inter primos Christianae doctrinae confessores, conciliandam auctoritatem: siquidem nunc eadem illis ferenda erat poena, si vestigiis Ananiae et Sapphirae insistentes, hoc vel illo modo dei legatos decipere, usque vel minimum de eorum dignitate diuinitus

C 3

colla-

q) Verum hoc esse, quod adfirmavi, ex euentu poenae huius extraordinariae, v. 4. et 11. narrato, satis superque liquet, vbi relatum legimus: metum atque terrorem maximum rotam peruasisse ecclesiam et omnes, qui ea audiissent; quod quidem nullam nobis dubitationem relinquit, quamplurimos tristi hoc exemplo commonefactos esse, ne tale scelus detestabile committerent.

collata detrahere voluissent r). Ex his omnibus haecenus in medium prolatis necessitatem poenae, Ananiae eiusque vxori iuste inflictae, satis atque abunde adparere credo. Eo clarior autem huic rei lux accendetur, si praeterea ex primaeva ecclesiae statu atque conditione probauero, quam opus fuerit, vt deus tali ratione coetui Christianorum prospiceret.

§. XVI.

3) *Ex statu ac conditione, in qua tunc temporis ecclesia primaeva versabatur.*

In fundanda societate hoc longe praecipuum est, vt salus publica suprema lex ponatur. Quare, qui praestit societati supremus rerum arbiter, in eo inprimis elaborare debet, vt 1) socii, qui nomina ei dare volunt, ac praesertim primi, animi candore ac probitate sint conspicui; 2) vt ii, qui prauis moribus inquinati sunt, statim ex societate expellantur, priusquam alios possint sodales inficere; 3) vt summa diligentia legibus sancitis inuigilet, primosue legum transgressores grauissimis adsciat poenis, ne nimia et intempestiua indulgentia alii ad paria delicta perpetranda proni sint, sed potius deterreantur. Ecclesia primaeva erat societas, tempore Ananiae primum instituta ac fundata: societas, quae vndique acerrimis circumdata erat hostibus, quae ob hoc ipsum maxima directoris summi cura atque prouidentia indigebat. Ad cuius salutem publicam et adiuuandam et stabiliendam, summo huius societatis moderatori, modo memoratae leges probe tenendae erant. Quapropter hoc eius consilium erat; vt tales illi potissimum adscriberentur, qui praediti essent animi probitate, fide ac constantia singulari. Inter quos, quum Ananias etiam eius-

r) Maxime autem fuisse necessarium, vt deus hoc modo Apostolis prospiceret, autoritarique eorum stabiliendae consulere, probabo §. XVII.

eiusque vxor essent, eorum autem actiones ad salutem publicam non spectarent, sed potius ad eius imminutionem; summi societatis moderatoris sapientia desiderabat, vt tales improbi socii ex ecclesia expellerentur, antequam alios possent inficere. Ast minime sufficiebat, eos tantum ex societate eiecisse; sed talis etiam illis infligenda erat poena, qualem prauitate sceleris sibi contraxerant, et qua alii ab eiusmodi delictis reuocari atque deterri possent. Rebus ita comparatis, facile intelligetur, deum in puniendis Anania eiusque vxore, sapientissimi gubernatoris ac moderatoris partes exacte impleuisse, poenamque illis inflictam, fuisse non solum iustissimam, sed etiam necessario iis irrogandam s).

§. XVII.

*Ex eodem principio comprobatur, Apostolorum auctoritatem hoc modo quoque fuisse stabilendam.*

Quodsi vero ecclesiae primaevae statum ulterius inquiramus, validissima in eo deprehendetur ratio, cur deus necessario, pro infinita sua sapientia, illius poenae irrogatione, Apostolorum auctoritatem stabiliret. Demandauerat deus Apostolis munus grauissimum eam ob causam, vt eorum opera ac ministerio noxi foederis ecclesia fundaretur, fundata magis magisque augetur et perficeretur. Salutaris autem euangelii doctrina hominibus quum esset adnuncianda,

s) In V. T. etiam similia reperimus exempla, cum deus leges, cuiuslibet directori systematis necessario tenendas, probe et accurate obseruasse, legitur, quo pertinet poena grauissima Nadabo et Abihu, Leu. X, I. 2. collat. v. 3. nec non toti cohorti Korah atque Abiram, Num. XVI, 31-35. coll. v. 28. iuste ea ex causa inflicta, vt partim suam iustitiam ea remanifestaret, partim oeconomiam et regnum, tum primum inter Israelitas institutum confirmaret, auctoritatem autem eorum, quibus in hoc negotio potissimum utebatur, magis magisque stabiliret.



cianda, qui pessimis erroribus capti, peruersis opinionibus infecti, inepta vitae morumque disciplina, a Christiana morum doctrina multum dissidente imbuti, pertinaciter erroribus inhaerere consueuerant; ad felicem ac prosperam muneris administrationem necessario requirebatur, vt in eum transferrentur statum, in quo in animos auditorum influere, eosque, erroribus Iudaeorum profligatis, de veritate religionis Christianae conuincere possent. Sed quomodo quaeſo eo adduci poterant et Iudaei et gentes, vt doctrinas, quibus instituendi erant, veras ac diuinas putarent, vt rebus, quae Apostolorum testimonio innitebantur, fidem haberent, eorumque praeceptis obedientiam praestarent; nisi deus maximam iis conciliaſſet auctoritatem? Quae quidem eo magis fuit necessaria, quoniam omnium et aduersariorum oculi, et totius Christianorum coetus, in ipsos conuerſi erant: illorum quidem, vt aliquid carperent, quo ipsorum fides aliis redderetur suspecta; horum, vt doctorum suorum exemplum imitarentur ac sequerentur. Vnde autem Apostoli, homines infimo loco nati, tam necessariam sibi parare poterant auctoritatem, nisi deus eam ipsis conciliaſſet? quippe in tanta pauperie nunquam non illis cum quauis fortuna aduersa confuetandum fuit, vt maximum aliorum contemptum potius, quam debitam sui exſtimationem et auctoritatem inde sibi promittere possent. Sed non sufficebat tantum, ipsis auctoritatem comparasse, sed rerum ac muneris ratio etiam hoc exigebat, vt eorum auctoritas parta conseruaretur. Quibus rationibus adductus supremus humanarum rerum moderator non poterat non grauiter in eos animaduertere, qui eorum auctoritatem atque dignitatem destruere, aut vel minimum de ea detrahere conabantur. Hac enim labefactata, prospera ac felix muneris administratio eadem ruina vt caderet, necesse erat. Quae cum ita sint, luculenter adparebit, quam necessarium fuerit, vt Ananiae eiusque vxori poena, grauissimo peccato respondens (§ XIII.) actu infligeretur, cum eiusdem omissione Apoſto-

lorum auctoritas, ad felicem grauiſſimi muneris adminiſtrationem neceſſaria, et poenae promeritae executione maxime ſtabilienda ac confirmanda, fuiſſet diminuta (§. XIV).

§. XVIII.

*Comprobatur, poenam Ananiae eiusque vxoris non repugnare benignitati dei infinitae.*

Nonne autem forſitan grauiſſima poena, qua Ananias eiusque vxor adficiendi erant, aduerſa fronte pugnat cum infinita ſupremi numinis benignitate, cuius impulſu, ſummo gaudet ſtudio, quaſuis naturas creatas, praefertim ad feliciorum poſt fata ſtatim conditas, quoad fieri poteſt, feliciores reddendi, quin immo eo adducitur, vt omnium mortalium, quantumuis deliquerint, ſalutem aeternam exoptet iisdemque peccata condonet? Quodſi autem animum ad poenam Ananiae inſlictam referamus, eam huic benignitati neceſſario eſſe aduerſariam, luculenter adparebit. Nam forte illi hoc dandum eſt, quod eo, quem deus ſecutus eſt, agendi et puniendi modo, omnem iis praeciderit, genuinam agendi poenitentiam, locum atque occaſionem, eosque ad miſerrimum detrulerit ſtatim, quem effugere potuiſſent, niſi deus repentina morte omnibus remediis, ad meliorem redeundi frugem, eos priuaſſet, et aditum ad vitae emendationem illis intercluſiſſet. Aſt, bona quaero verba! Magnam quidem haec obiectio habet probabilitatis ſpeciem, ſed ſimulac ea, quae ſubſequentur, rite expendantur, omnis dubitatio penitus euaneſcet, optimaque inter huius poenae inſlictionem atque infinitam in res creatas dei benignitatem, elucebit concordia. Deus quidem, quae ſumma eſt eius in mortales benignitas, omnium exoptat ſalutem, cum fluxam hancce in his terris et caducam, tum etiam potiſſimum ſempiternam: iisque ideo ſerio, ſub conditione verae poenitentiae, omnium delictorum offert remiſſionem; ita tamen, vt haecce eximia propenſio ſemper

D

ad



ad exquisitissimas referatur sapientiae regulas. Quocirca non rationibus subiectiuis adductus bona sua distribuit; sed potius rationes illas ex conditione eorum petit, quos sua beneuolentia amplecti studet: hoc quidem modo, ut semper illorum rationes respiciat idoneas. Quibus deficientibus, cesset etiam, necesse est, benignitatis exercitium erga illum, qui prauis actionibus impedimentum ei posuerit, quo minus ea sese exferere possit. Quodsi igitur deus hominibus gratiam ac benignitatem subtrahit, culpam non in deo, sed in homine ipso residere patet. Haec ita disputata, si ad poenam Ananiae applicaueris, omnis inter eam atque benignitatem diuinam exulabit repugnantia. Etenim consulto illi in eum translati erant statum, in quo omni gratia ac benignitate diuina sese plane indignos reddiderant: non habebant ulterius, ut cum philosophis loquar, receptiuitatem, benignitatisque exercitium eorum animi statui non erat conueniens: quapropter etiam, ut eam ipsam benignitatem eis subtraheret, sapientia suauit. Cui autem culpa huius defectus tribuenda est? deone, an Ananiae ipsi? Huic soli profecto; siquidem consulto ac liberrime semet ipsum priuauerat illa aptitudine tam necessaria, grauissimoque peccato impedimentum benignitati obiecit, quo minus illa sese ita exferere potuerit, ac alias factum fuisset. Lasciamur deinde aduersariis, Ananiae eiusque uxori, repentina morte ipsis immissa, occasionem atque remedia, ad meliorem redeundi frugem, esse adempta; nihilo tamen fecius deus haud accusari potest propterea, quod aliquid benignitati aduersarium commisisset. Nam primo, cum et Ananias et Sapphira amicae adhortationes Petri, quibus ad poenitentiam impelli poterant, spernerent floccisque haberent, cum ipsa benignitate diuina non conueniebat, ut poenam vel differret, vel plane ipsis condonaret, tam pertinaciter gratiae oblatae resistentibus. Deinde tanta nequitia ac deprauatio eorum animis infecerat, ut valde credibile sit, illos haud vnquam veram acturos fuisse poenitentiam. Deus igitur haec praeuidens euentura, simul praecidit, spem de eorum salute non tantum fore frustraneam et inanem, verum etiam peccato impune peracto, pluribusque ecclesiae illatis damnis, eo maiores ac grauiores illos sibi esse conflaturos poenas. Quibus rebus ita comparatis, tantum abest, ut in hoc facto aliquid reperiamus, quod benignitati diuinae sit contrarium; ut potius eam in poena Ananiae eiusque uxori irrogata, sapientissime esse administratam, vno quasi ore profiteamur, necesse sit.

## CORRIGENDA.

Pag. 2. lin. 17. leg. His rebus ita comparatis, p. 4. not. c) l. 3. leg. cando-rem, p. 8. l. 7. post: Tandem etiam, add. animum prodidit, p. 9. l. 3. leg. Qua propter, p. 10. §. VII. l. 2. leg. elaborandum, p. 14. l. 16. leg. adest. Reliqua leuiora facile emendari poterunt.

Na 32.  
ju


ULB Halle  
005 367 468

3




N 11.









26.  
DISSERTATIO  
SISTENS

28  
VINDICIAS IVSTITIAE DIVINAE  
IN MORTE ANANIAE  
EIVSQVE VXORI INFLICTA

AD ACTOR. V, v. I-II.

QVAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE  
CONSENTIENTE

D. XIII. MAIL, CIDIIOCLXXII

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVATIONI

SVBMITTIT

PRAESES  
THEOPH. LVDOV. CAROL. LOEBER

PHILOSOPHIAE DOCTOR

RESPONDENTE

RVDOLPH. LVDOV. GOTTLIEB. SCHMID

IENENSI SS. LL. C.

\*\*\*\*\*  
I E N A E

EX OFFICINA STRAVSSIANA

